DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Verleihung

Pfarrarchiv Münster

27.05.1440

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7405.A34

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)
Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

urn:nbn:at:at-dai-52311

Visual Library

Georgius Dei gratia Episcopus Brixinen. Universis Christifidelibus ad quorum noticiam presentes nostre litere pervenerint Salutem in domino sempiternam. Et ab omnibus bonis Wolfgangus Pontifex veneratur in terris, quem deus in celis suis per signa et miracula que pro eo facere dignatur, etiam ab angelis honorari ostendit in celis. Sacra loca sub eius vocabulo deo dicata, devotissime convenientes frequentant, ac ibidem per eius suffragia dominum nostrum humiliter deposcunt. Cupientes igitur ut Capella in honore eiusdem sancti in Schalders erecta et dedicata, a Christifidelibus debita cum veneratione visitetur, ac ut eiusdem Christifideles tanto ferventius accedendi eandem trahat devocio quanto maiore dono spiritualium indulgenciarum videlicet et remissionibus refici conspexerint. Vestram universitatem requirimus et hortamur in domino ac in remissionem vestrorum iniungimus peccatorum, quatenus dictam Capellam visitantes, a deo intercedentibus eiusdem sancti suffragiis veniam delictorum in humilitate spiritus accedatis. Nos enim omnibus Christifidelibus vere penitentibus confessis et contritis Capellam supradictam in singulis festivitatibus dominicis infrascriptis videlicet Nativitatis Circumcisionis Epiphanie Palmarum Cene pasce, Resurrectionis Ascensionis Penthecostes Trinitatis et corporis Christi. Necnon in quatuor sollemnitatibus virginis Marie, felicis Annunciacionis Nativitatis Purificacionis et Assumpcionis In festis quoque Sanctorum Petri et Pauli, ac singulorum Apostolorum, Sancti Johannis Baptiste Stephani Laurencii, Fabiani et Sebastiani, Cosme et Damiani, Justini et Innocentium martirum Ingenuini et Albuini Cassiani Wolfgangi dicte Ecclesie patroni Anthonii Leonardi et Jeronimi pontificum ac confessorum, Marie Magdalene Katherine Barbare Otilie Dorothee Margarethe Cunigundis et undecim milium virginum, Michaelis archangeli et omnium Angelorum. Necnon in omnium Sanctorum, atque etiam in ipsius Ecclesie Dedicationis anniversario Et quandocunque verbum dei seminari, seu divinum officium inibi celebrari contigerit devote visitantibus, seu pro ipsius fabrica conservacione et dotatione, suas manus pias porrigentibus adiutrices, De omnipotentis dei misericordia, Beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius meritis et intercessione confisi Quadraginta dies indulgenciarum de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei evidens testimonium presentes literas nostri Episcopalis Sigilli appensione iussimus communiri. Datum Brixine mense May die vicesima septima Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo

1440

[illegible] parochie [illegible]

Lit. M

1440 Mai 27.